



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

M. Fab. Quintilianus Tryphoni Bibliopolae Salutem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12945**

M. FAB. QUINTILIANUS  
 TRYPHONI BIBLIOPOLÆ  
 SALUTEM.

Causam edendi operis profert, quod illud efflagitari vehementer intelligat: & benevolentiam captat à sua modestia, & fide diligentiaque Tryphonis.

**E**fflagitasti <sup>2</sup> quotidiano convitio, ut libros quos ad Marcellum meum de Institutione oratoria scripseram, jam emittere inciperem: <sup>3</sup> nam ipse eos nondum opinabar satis maturuisse: quibus componendis (ut scis) paulo plus quam <sup>4</sup> biennium, tot alioqui negotiis districtus, impendi: quod tempus <sup>5</sup> non tam stylo, quam inquisitioni instituti operis prope infiniti, & legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, datum est. <sup>6</sup> usus deinde Horatii consilio, qui in arte poetica suadet, ne præcipitetur editio, nonumque prematur in annum; dabam iis ocium ut <sup>7</sup> refrigerato inventionis amore, diligentius repetitos, tanquam lector perpenderem. <sup>8</sup> Sed si tantopere efflagitantur, quam tu affirmas, <sup>9</sup> permittamus vela ventis, & <sup>10</sup> oram solventibus bene precemur. <sup>11</sup> Multum autem in tua quoque fide ac diligentia positum est, ut in manus hominum quam emendatissimi veniant.

<sup>1</sup> Efflagitasti.] Principium epistolæ habet expositionem petitionis cum remotione voluntatis Fabii. De Tryphone meminit Martial. lib. 4. ad Quintum Exigis ut donem nostros tibi Quinte libellos, Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon. Fuit & alius Græcus Grammaticus.

<sup>2</sup> Quotidiano convitio.] Ita Cic. ad Quintum frat. Epistolam hanc convitio efflagitarunt Codicilli tui. Pith.

<sup>3</sup> Nam ipse eos, &c.] Rationes redditur distulerit editionem.

<sup>4</sup> Biennium.] Causatur brevitatem temporis.

<sup>5</sup> Non tam stylo.] Hoc est, lineamentis orationis, quibus hæc mea vestire volebam. Stylus dicitur graphium, cujus pars alia est acuta, qua scribebant: alia latior, qua debebant. inde Horat. inquit, Stylum veritas, id est, deleas & emendes. Aliter interpretes, sed male.

<sup>6</sup> Usus deinde.] Altera causa cur sup-

primeret libros Fabius. Magno consensu exemplarium habetur hæc dictio usus: licet aliqui expungant. Versus Horatii habetur de Arte Poët.

Nonumque prematur in annum.

<sup>7</sup> Refrigerato amore.] Sux quisque inventioni faver. Plin. Tacit.

<sup>8</sup> Sed s.] Conclusio est, qua assentitur ipsi Tryphoni.

<sup>9</sup> Permittamus vela ventis.] Ancipitem editionis eventum, utcunque cadet, experiamur.

<sup>10</sup> Oram solventibus.] Alciatus, auram putat legendum, ut sit sensus, Precemur faustum exitum, ut nauta ventum. Alii oram pro fune nautico, rectè: ita enim lib. 4. legitur, cap. de narratione. Est autem funis ille qui religatur ad tonsillam, id est, palum in littore, Græci πρυμνησιον vocant.

<sup>11</sup> Multum autem.] Ad extrema commotionem addit.

M. FAB.